266

47.

DEO OPTIMO, MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimo-octavo Februarii, 1726.

M. JACOBO-ANTONIO MILLET,
Doctore Medico, Præside.

An Kina-Kina *hystericis?*

I.



EX QUO morborum terris incubuit cohors, fecit humani generis calamitas, ut & explorarentur infensissimi vitæ hostes, & ad compescendos eorum furores arma quærerentur. Hinc homines cæteris humaniores Medicinam, rudem quidem illam, at non semper insalutarem primùm fecerunt. Hos excepere peritiores Medici, qui posteris reliquerunt, unde Medicina in scientiam adolesceret, artisque præcepta concinnarentur. Legem hanc demum sibi dixerunt viri pro temporum conditione docti, ut ex signis morbos intelligerent, ex morbis morborum eruerent causas, ex utrisque sumptis indicationibus conquirerent remedia, quibus utrumque malum quàm opportunissimè profligaretur. Nos majorum sequimur methodum; in hoc feliciores, quod & morborum causæ è penitioris anatomes recessibus petitæ nobis innotescant magis, & remediorum supellex nobis uberior præstantiorque suppetat. Cave tamen credas morbis morborumve causis Medici curam deberi totam integramque reservari. Sunt signa, quæ vocantur symptomata, quibus nonnunquam abigendis, ni priùs admoveas manum quàm morbum aggrediaris, incassùm cedet labor. Quod cùm in morbis compluribus, tùm præsertim in passione hystericâ, fœminis; in hypocondriacâ autem viris adeo familiari, sæpius est experiri. Morbus hic ὑστερικὴ πνίξ sive ὑστερικὸν πάθος Græcis audiebat, quod crederet prisca mortalium simplicitas ab affectione importunissimâ nunc utero suffocationem importari, nunc ab utero in alias partes transferri. Nec defuerunt qui putarent uterum ipsum, mutatâ sede, sursum ferri dilatandisque pulmonum vesiculis pertinaciter obstare. Verùm uteri situs, firmior textura, partiumque quibus adhæret, robur & renitentia satis superque declarant errorem hâc in re veterum non ex alio quàm ex ignoratæ anatomes fonte profectum fuisse. Morbum hystericum, si durationem spectes, perlongum appellaveris; si sævitiam consideres, atrocissimum dixeris; si mutabilitatem attendas, Proteum nominaveris.

Causa mali tàm aliquando latet, quàm Nili fontem latuisse scriptores prodiderunt. Huic tam multiplici, tam crudeli tamque pertinaci malo succurrere penes Medicinam est.

II.



IN CASSUM speres fumum tollere, nisi priùs ignem extinxeris. Mutato nomine de morbis narratur fabula. Nam frustra morbum debellare tentaveris nisi priùs morbi causam sic impugnes, ut impugnando expugnes. Morborum causas qui plures statuerunt, his ignoscimus, dum ignoscant nobis quòd statuamus pauciores. Morborum igitur causas in antecedentes & conjunctas, sive in remotas & proximas cum oculatissimis rerum Medicarum arbitris distinguimus. Causæ morbi hysterici remotæ sunt vel textura corporis delicatior, vel mœstitia, vel otium, vel victus uberior, vel timor, vel menstrui fluxus à quâvis ratione, imminutum suppressumve profluvium &c. Causas proximas si paulò perpenderis attentiùs, mirum dictu quàm hallucinentur fermentationis asseclæ, qui ponunt à solâ fermentatione proximam affectionis hystericæ causam esse repetendam. Egregii scilicet naturæ interpretes fermentationis ope nihil non enucleant, objiciuntque omnibus ferè omnium difficultatum telis, quasi Palladis ægida, fermentationem. Verùm obsolevit apud diligentissimos rerum scrutatores fermentatio, ex quo compertum est solida fluidis imperare, nec nisi ex solidorum vitio labem in fluida derivari. Ne quis tamen sibi fingat nos hìc velle quidquam esse fluidorum potestati detractum; nôrit ille nos, quemadmodum fluidis olim plus æquo tribuimus; sic nunc solidis & tribuere suum, nec fluidis detrahere. In corporis igitur partibus solidis primam præcipuamque hysterici morbi causam regnare statuimus. Primam ac præcipuam dicimus, quod causa mali proxima in succos etiam tractu temporis transferatur, solidis dein partibus cum fœnore reddenda, & in suum fontem jugiter refluxura. At, inquies, solida cum sint inter se multùm discrepantia, multumque diversæ naturæ, internoscis in quibus potissimùm hæret causa morbi conjuncta? In nervis, qui funiculorum suorum propaginibus in totum corpus diffusi, passim diffundunt malum, quemadmodum ipsi latè passimque diffunduntur. Spasmos enim ineunt nervi & quoquo versùm circumferunt: à spasmis verò sanguinis mora, lentor, salsugo, in succum nerveum reditura oriuntur; unde nervorum spasmi in dies intenduntur. Hinc Medicastris Agyrtisque quàm facillimè imponunt cephalalgia, dyspnæa, hypocondriorum tensio, lachrymæ non voluntatis sed morbi imperio elicitæ, cachinnus, insomnia, strangulatio, sine manifestâ causâ; nimirum tot formas induit morbus hystericus, quot artis Medicæ parum gnarus, in diversos discrepantesque morbos putet esse refundendas. Nemo profectò non dixerit, hujus morbi causam esse quàm intricatissimam; nullus hominum est, qui negaverit, morbum ipsum esse quàm fallacissimum curatuque difficillimum. At Medicina illa, cujus beneficio non nisi Medici apud nonnullas gentes olim regnarunt, morbi hysterici causas sic tollit, ut nisi temporis diuturnitate inveteraverint, Medicamentorum viribus obrutæ prorsus evanescant. Medicamenta cùm alia sunt huic morbo ejusque causis feliciter adhiberi solita; tùm in partes suas vocandus cortex Peruvianus, quem *Kinam-Kinam* appellamus.

III.



MORBUM hystericum, si quidem nunc totum infestat corpus, nunc partem corporis hanc illamve obsidet, idcirco faciliùs descripseris quàm definieris. Hujus effectus si numerando perlustres, si symptomata perpendas, si signa propiùs introspicias; quot signa, quot symptomata repetias, totidem ferè morbis æquiparari posse judicaveris. Nulla pars est corporis, in quâ symptomata passionis hystericæ morbum non simulent alienum, dum dissimulant suum: mentiuntur enim calculum, dum contractis; diabetem quadantenus, dum irritatis renum & vesicæ fibris; urina nunc profluit uberiùs, nunc quasi compedibus vincta hæret & remoratur. In renibus nephritidem æmulantur. In intestinis præsertimque colo borborygmis, tensione, torminibus desæviunt.

Alvum nunc ſiſtunt; nunc cient. Hypocondria lancinando diſtendunt. Flatus generant, qui teneram inteſtinorum compagem cum ſonitu permeantes ſic tumefaciunt, ut diſruptionis periculum impendere videatur. Ventriculum ad eam expandunt molem, quæ & periſtaltico inteſtinorum motui, unde dyſpepſia, officit; & alternis diaphragmatis ſuccuſſibus, unde dyſpnæa, fræna perperam injicit. Huc etiam ructus acidi, nauſeæ, pandiculationes, ſingultus, lipothymiæ, vomitus accedunt. In thorace à conſtrictis muſculis, ſuffocatio; à convulſo corde, cordis palpitatio; ab aſcendente quaſi globo, continuato ab inferiore ventre nervorum ſpaſmo audiunt. In capite vertiginem, inſomnia, cephalalgiam imitantur, clavumque figunt hyſtericum. Oculos interdum invertunt, interdum in lachrymas ſolvunt. Auribus tinnitum, genis pallorem & ruborem inferunt. In ore, odontalgiæ larvam induunt, ſalivam movent juſto copioſiorem, convulſiſque labiorum muſculis riſum exprimunt, aut faciem horrendùm diſtorquent. Artus interim ſuos patiuntur manes; ſpaſmodicè concutiuntur. Eſt ubi violenter & inverecundè jactantur, tanquam epilepticis inſultibus aut repentino furoris impetu correpti. Eſt etiam ubi miſeræ mulieres immobiles jacent, demortuis haud abſimiles. Nec ſemper abeſt febris modò remiſſior, modò intenſior, nonnumquam & periodica. Nec corporis culpam non luit animus qui trahit à corpore, unde pariter ægrotet. His malis mederi vis? Armamentarium Medicum ſcrutare. Ibi reperies inter quàmplurima rei bene gerendæ præſidia Kinam-Kinam, quæ debellandis atrociſſimis ſymptomatibus ſymbolum conferet ſuum, nec non utilem operam efficacemque præſtabit.

IV.



INÆ-KINÆ nomine corticem intelligimus arboris cujuſdam Americanæ, vel Hiſpanorum incuriâ, vel aliorum hominum ignorantiâ nobis incognitæ, nondumque deſcriptæ. Creſcit affatim hæc arbor in Mexicâ & Peruviâ. Cortex, præſertim ubi conſenuit, colore ſubrufus, tactu non nihil aſper & inæqualis, guſtu amarus at ſubauſterus, odore ſuavis, ut aromatici quid ſubeſſe non falsò ſuſpiceris. Qui Kinæ-Kinæ naturam analyſi Chymicâ voluerunt explorare curioſiùs, ii nihil aliud ex igne, quàm fumum extricarunt, hoc eſt deſtructâ penè corticis vi medendi ſpecificâ, ſal, ſulphur, aquam & terram, impenſi laboris mercedem, ſibi tantùm ſupereſſe compererunt. Quæ principia cum è cæteris vegetabilibus corporibus pariter erui poſſint, non abs re feceris, ſi pronunciaveris corporum vegetabilium efficaciam non in partes, ut aiunt, eſſentiales, ſed ad partes quibus conſtant, integrantes potiſſimùm eſſe referendas. Chymia nimirum aut naturam mixti mutando pervertit, aut ἐνέργειαν torquendo exolvit. Kinæ-Kinæ virtutes ſi conjecturâ volueris aſſequi, ex ſapore colliges corticem hunc ſtomacho robur, vim nervis, muſculis tonum addere; cum, linguâ judice, terreſtribus, aromaticis, aſtringentibus & corroborantibus moleculis abundare deprehendatur. Ex odore autem intelliges ſalis volatilis ſulphuriſque tenuiſſimi copiam eamque non exiguam, in remedio, ſi quod eſt, præſtantiſſimo deliteſcere; unde dividendo, comminuendo circumpellendoque ſanguini quantùm conferat, exiſtima. Hinc Febribus, præſertim verò intermittentibus, ab inſpiſſato ſanguine, ſive propter prægreſſam dyſpepſiam, ſive quâvis aliâ de causâ oriundis quàm mirè opituletur, omnibus & lippis notum & tonſoribus eſt. A conjecturis jam ad experimenta convertere. Quot morbis, quàm inter ſe diverſis atque diſcrepantibus Kina-Kina cum ſucceſſu preſcribitur! Eſt id Medicamenti, quod quàm præ ſe fert odore vel ſapore efficaciam eam reipſa longè ſuperet; quodque ſenſuum opinione multò pateat latiùs ulteriuſque pertineat. Quod ſi, exhibito Peruviano cortice, Medicorum votis reſpondet eventus, in propemodùm infinitis ægritudinum ſpeciebus, quantò magis in hyſtericis affectibus, qui jure quodam ſuo Kinam-Kinam ſibi vindicant & videntur quodammodo efflagitare.

V.



CAUSIS, pendent morbi; à morbis symptomata; utraque cum remediis confer, quibus medendi scopum attingi posse suspicaberis. Hâc arte nec specificum Pharmacum suo, ut vulgus putat, morbo semper indulgebis, nec ad alios morbos non aliquando traduces. Hujus censûs esse Kinam-Kinam persuadent Medicinæ sanioris arbitri, qui corticem hunc, quemadmodum à nonnullis Febribus interdum amovent, sic hystericis affectibus admovere non dubitant, & faustis ominibus imperant exhiberi. Nam in ventriculum illapsa humoris gastrici tum acorem emendat, tum spissitudinem dividit atque dissolvit; & hoc quidem, salino volatilium; illud verò porosarum terrestriumque partium suarum ope præstat. Quin & visceris nobilissimi vires aut amissas revocat, aut jacentes erigit aut ferocientes temperat & in ordinem reducit. Virtutem hîc subodorare salino-sulphuream, quæ ventriculi fibris nunc oscillationem reddit suam, nunc alienam contrario motu destruit. Hinc felicior alimentorum coctio, hinc purior, hinc fluidior chylus, cujus vitio fovebatur hysterica passio, cujus fomite ardebat magis in dies, cujus demum adminiculo radices altiùs egerat, & in remotissimis corporis partibus penitùs insederat. Jam verò Kina-Kina sanguinis ingressa vias, quos non compescit tumultus? Quæ bella non componit? Quos utilitatis fructus ubique non dispertitur? Omnigenos incidit attenuatque succos, unde pravorum evolutio & ad excernendum facilitas; cæterorum ad movendum dispositio proficiscitur. Nec vasorum interim staminibus non eam indit oscillationem, quæ sanguini æquabiliter circumagendo maximè sit accommoda. An non igitur in nervos ex emendatâ sanguinis scaturigine, quidpiam redundabit boni? Imo nervos Kina-Kina mulcet, non irritat; recreat, non lacessit; firmat, non pungit, & à præternaturalibus ad naturales ordinatosque motus non cogendo, sed alliciendo deflectit. Necessum igitur est evanescere passionis hystericæ symptomata, quorum multò maxima pars nervorum spasmum, sive convulsionem, evidenter arguit. Observatum est non paucos hystericarum mulierum paroxysmos ab ingesto Peruviano cortice ad plures sæpe menses, quin & annos, quasi consopitos jacuisse; nonnumquam etiam debellatos victosque cessisse. Ex his autem non existimet quisquam Kinam-Kinam nobis nostram tanti haberi, ut ab affectibus hystericis alia quoque eaque præstantissima pharmaca procul arceri velimus atque exulare. Imo Kinæ-Kinæ non præscribimus usum nisi aut prægressis aut ferè semper stipantibus aliis medicamentis, quorum delectus & administratio Medici judicio committantur. Præmittantur semper venæ sectiones, sed monemus raro auspicandas esse à saphenâ, præsertim in obesioribus; Apage ergo, qui clamitant non nisi Febribus prodesse Kinam-Kinam, quæ diversissimis in morbis sic gratificatur humano generi, ut Peruvia de nobis plus, communicato cortice, quàm auro suo, merita esse videatur.

Ergo Kina-Kina *hystericis.*

Domini Doctores disputaturi.

M. Jacobus - Antonius Millet, Actûs Præses.	*M. Nicolaus le Tellier.*	*M. Joannes Nicolaus de la Hire, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*
M. Michaël Peaget, utriusque Pharmaciæ Professor.	*M. Petrus Afforty.*	*M. Antonius Geoffroy.*
M. Joan. Bapt. Faustus Alliot de Mussay.	*M. Claudius Antonius Renard.*	*M. Joannes-Franciscus Coutier, Chirurgiæ Gallicæ Professor.*

Proponebat Parisiis JOACHIMUS-JOANNES COSTAR, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1726. à sextâ ad meridiem.

Typis PH. N. LOTTIN, *Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi.*